

B. h. II, 181.
h. 50, 16.

X 1881003

II m
638

DISPUTATIO HISTORICO-POLITICA,
De

ORDINE
EQVESTRI AUREI
VELLERIS,

Oder

Von dem Ritter = Orden des
Hüdenen Blusses!

IN ALMA ELECTORALI AD HIERAM

Deo favente,

ET

Amplissima Facultate Philosophica consentiente,

SUB UMBONE

M. JOANN. KIESSLINGII,

Phil. Experim. Prof. Publ. Concionatoris

Evangelici, & P. L. C.

Solemni ritu

Placidæ Disquisitioni Eruditorum exhibita

à

BALTHASARE HEYDERO,

Erffurtensi, Philos. & Jurium Studio.

Die X. (XX.) Februarii Anno M DCC.

In Auditor. Philos. Colleg. majoris, horis consvetis.

Erffurti, Literis DAVIDIS SUMPFL.

20.



HIERONYM. OSORIUS LUSITANUS,
Silvensis Episcopus,
De Gloria, Lib. 1. pag. 19.

*Is demum est Vir virtute præstans
existimandus, qui Studia amicorum
emolumentis suis antefert, omnes cu-
ras atque cogitationes confert in publi-
cam utilitatem, libentissimeq; rerum
suarum jacturam facit, ut aliorum
commoda constituat.*



Etum
focil
exer
bus a
riles
Poët
alce
fiant
Pere
terra
quo
de ca
bis fi
Pere
ri be
duob
jus
nes
& ho
riam
quo





PRÆFAMEN.

OMnibus à Natura hoc inditum esse rebus Seculi hujus, ut perpetua vicissitudine ac Variatione delectentur, omnes ab ortu Mundi hucusque cognoverunt Sapientes. Cœlum mox lumine Solis collustratum lætatur, mox nubibus obdu-
ctum lugere videtur. Terra aliquando blanditiis æstivis re-
focillari amat, aliquando autem nivibus & inclementia aëris
exerceri sœvit. Arbores alio tempore floribus, alio fructi-
bus abundant, alio verò etiam utroque horum denudatæ ste-
riles se exhibent. Hæc & in foro literatorum ita se habere,
Poëtarum Princeps, Maro, his innuere verbis voluit: *Amant
alternæ Camenæ.* Nostræ hæc in re Musæ exemplo esse pos-
sunt, quippè quibus aliàs sub terra versari volupe fuit, (vid.
Peregrinationes nostras subterraneas) nunc autem supra,
terram Magnatum Palatia iustrare in delitiis habetur. De
quo testari poterit quaecunque specimen hoc Politicum, hæc
de causa à nobis conscriptum, ut Phari ad instar mystici no-
bis sit, quo dirigente forsitan subsequaturæ peragenda forent
Peregrinationes subterraneæ. Exhibet autem istud Lecto-
ri benevolo Inclytum istum *Aurei Velleris Equestrem Ordinem*
duobus distinctis Capitibus, quorum alterum Societatis hu-
jus celeberrimæ totam Historiam, alterum verò Quæstio-
nes varias illustres circa eandem continet. Faxit Deus, ut
& hoc Conamen nostrum vergat in nominis sui divini glo-
riam, & rei literariæ emolumentum ac incrementum, id
quod iterum iterumque rogamus, petimus atque flagitamus!

CAPUT I.
HISTORICUM.

§. I.

IN Thematis hujus maximè illustris tractatione primò omnium respicimus ad *Nomen*. A Nomine enim incipiendum esse, monet *Scaliger Exercitat. 359. Sect. 1. p. 510.* Et *Reinking de Regimine Seculari & Ecclesiast. lib. 1. col. 1. c. 1.* Horum Clarissimorum Virorum vestigiis insistentes primò Vocabulum *Ordo* consideramus. Denotat autem illud *in genere* Dispositionem seu seriem, vel rerum visibilibus, vel causarum in fato divinitus sic compositarum, & hâc ratione *Sorti* vel *Casui* opponitur. vid. *Manilius lib. 1. v. 531.* & *Casaubonus ad Persii sat. III. v. 66.* *In specie* verò notat Locationem militum in Castris aut acie constitutorum; Tertio *Vitæ Genus* significat, seu *Statum*, oder einen *Stand*. Sic de populo Romano dicitur: *Exactis Regibus* populus Romanus in tres ordines distributus est. In *Senatorium*, *Equestrem* & *Plebejum*. Et posteriorem significatum Vocabulum *Ordo* hîc loci habet.

§. II. Sunt autem varii tum *Sacri* quam *Militares* & *Seculares* Ordines, de quibus videri merentur *Aubertus Miraus* in Tractatu de Originibus Equestrium, sive *Militarium* Ordinum. *Franciscus Mennenius* libro de Originibus Ordinum *Militarium*. *P. Andreas Mendo, S. J. Hispanus* in *Disquisitionibus* Canonice de Ordinibus *Militaribus*. *Bernhardus Justinianus, Venetus*, in *Chronologia* omnium ordinum *Equestrium* *Simon van Leeuwen* in *Battavia illustrata*. *Gilles André de la Roque* de *Nobilitate*, nec non *Marc de Wison, Sieur de la Colombiere* dans son *Theatre d' Honneur* Quibus addantur *Louvan Geliot*, & *Pierre Palliot* qui *Indicem Armorial* ediderunt, *Seldenus* in *Tract. de Titulis Honorum*, & *Frere Anshelm*, in opere suo Gallico, quod le Palais

lais d' Honneur inscripsit, & alii, quos hinc recensere superse-
demus.

§. III. Generalis autem omnium Ordinum, præsertim
Equestrium, *Definitio* ex Sententia Auctorum citatorum se-
quens est: *Ordines sunt Societates certæ ex Nobilitate tam supe-
riore, quàm inferiore à Secularibus vel Ecclesiasticis Magnatibus
aut ad defensionem Fidei Christianæ, & debellationem infidelium,
aut ad propagationem, nec non remunerationem Virtutis Heroicæ,
Fortitudinis, Fidelitatis &c. imò ad conservationem Tranquillita-
tis publicæ, aut ad augendam Gloriam certarum Nationum colle-
ctæ. Philippus Reinhardus Vitriarius in Instit. Jur. Publ. Roma-
no-Germanici Tit. XXI. §. 1. Equitem hinc ita describit: E-
ques est, qui ordini summi Principis Auctoritate adscriptus, illius
ordinis & honoribus & beneficiis gaudet, & muneribus obligatur.*

§. IV. Hi Ordines vocantur *Eqvestres*, quia non nisi
Nobiles iisdem abscribuntur. Generaliter equidem omnes
Nobiles vocantur Equites. quod inde fieri Scriptores putant,
quod ante aliquot secula soli fere in Germania & Italia mili-
tarint Nobiles, non quidem pedestri agmine sed equestri.
Quanquam accurata loquendi formula Eques major sit No-
bili simpliciter dicto, & ab eodem distingvatur gradu. Ger-
manis Ritter vocantur. Hoc unde deductum sit variat Do-
ctorum Senatus. Non errare autem videntur illi, qui uti
Germanicum vocabulum Ritter à reiten / ita latinum Eqves
ab equitando derivant. Vid. Oldenburgerus ad Limnæum lib.
3. cap 28. §. 1. Gallis dicitur *Chevalier*, & Italis *Cavalliero*.

§. V. Termini *Ordo & Equestris* aliàs admodum latè
patentes per alia duo nunc restringuntur vocabula, quorum
primum *Vellus* est, & alterum *Aureum* de quibus pluribus a-
getur in proxime subsequente disputatione nostra, ubi ex
Mythologis atque Poëtis omnia conquirenda erunt, quæ lu-
cis quid his vocabulis fœnerari poterunt. Interim no-
vimus Germanis hunc inclytum ordinem dici der Orden
des Gùldenens Belles oder Blüsses. vid. Oldenburgerus l. c. §. 4.
Quanquam alii & ita scribant: Gùlden Fluß, vid. Christoph.

• *Besoldus Thesaur. Practic. pag. 339. col. 2. lit. G. Tit. 90. & continuat. pag. 252. col. 1. 2. Meigserus in Tractatu vom dreysfachen Ritter-Stande cap. 3. vocat den Ritter-Orden des gülden Schappers / oder gülden Lämmlens von Burgund.*

§. VI. Clarum itaque est rationem Denominationis primario dependere ab Expeditione Argonautica versus Colchos Aurei Velleris recuperandi gratia instituta. Mens enim primo Fundatori erat Celsissimo inscribere ordinem *Aurei Velleris*, ut exemplum præberet Nobilitati suæ præstantissimum in *Argonautis* & ipsorum Duce *Iasone*. Conf. *Wendelinus* in *Ariete* seu *Encomio Aurei Velleris*. Hæc in re consentientem habemus *Oldenburgerum*, qui loco cit. §. 4. ita commentatur: Si Authoris verba respicimus, quæ articulis ordinis præmissa leguntur, satis liquet ordinem ab aureo Argonautæ *Jasonis* Vellere, non aliunde nuncupatum, & *Olivarium Marcanum*, qui *Philippo I. Augustissimi Romanorum Imperatoris Caroli V. magno Parenti* in Epistola quâdam ita hunc Titulum declaravit, insimulque *Historiæ Gedeonis* mentionem fecit. Quem postmodum secutus est *Joannes Germanus*, Episcopus de *Chalons* in *Burgundia*, Ordinis hujus Cancellarius, Vir non minus devotus, quam facundus, qui nefas duxit Gentilium Fabularum hinc mentionem fieri, proindeque *Historiam Gedeonis*, tanquam in sacris literis (*Jud. 6.*) receptam & fundatam, commendavit, quod adeo gratum fuit omnibus huic ordini addictis, ut *Aulæ Bruxellensia* temporibus *Philippi Ducis* texta *Gedeonis* repræsentarent *Historiam* conf. *Zenner* in *Frühlings-Parnas.* 1694. p. 135 & *Godefridus Wendelinus* in *Ariete*. Ut taceam alios alias adhuc denominationis rationes afferre, quos inter *Joannes Bucelinus*, qui in *Gallo-Flandria sacra & Profana* lib. 2. c. 13. pag. 313. de *B. Virgine Mariâ* explicuit, & *Ferreolus Locrius* lib. 3. *Mar. Ang.* cap. 7. qui *Aurei Velleris* Symbolo sacras literas adumbrari statuit. conf. *Limneus* Tom. 1. *Addit. Jur. Publ.* ad *Lib. VI. c. 2. n. 18.* nec non *Borrichius*, qui *χευοσπρωιτην* sub eodem latuisse meminit. De qua Sententia suo loco plura nobis erunt dicenda.

§. VII.

§. VII. *Causa* itaque *Efficiens* hujus ordinis fuit Princeps Majestatis charisma tenens, quod omnino in Fundatore tanti ordinis requiritur. Vid. *Oldenburgerus* d. l. §. 3. Talis verò extitit Gloriosissimus Princeps ac Dux Burgundia, *Philippus Bonus*, quippe qui superiorem non agnovit. Conf. *Bodin.* lib. 5. de Republ. cap. 4. & *Mons. Louis Morerii* dans son Grand Dictionnaire Historique Tom. 3. Sur le Titre *Toison d'Or.* Quapropter & hodie Reges Hispania, cum Burgundia jure hæreditario ad Austriacos devoluta, illaque in divisione Provinciarum Austriacarum ipsis obtigerit, hunc ordinem sibi vindicant, istiusque caput reputantur. *Excell. Guden.* Disp. de Nobilit. cap. 5. §. 3. Hi enim à *Maximiliano* originem trahentes, non tanquam Austria Archiduces, sed tanquam Duces Burgundia hujus ordinis Præsides hodie salutantur, ut monet *Oldenburgerus* l. c. §. 4. Quanquam & huic *Nordermannus* in Dissert. de Jure Principat. conclus. 86 lit. a. contradicere videatur. De quâ re litem perorandâ Jctis merito relinquimus & Authoritate *Oldenburgeri*, donec contrariû demonstretur, contenti sumus. Quod enim Imperator in Imperio, Reges in Regnis suis in quacunq; dignitate constituenda possunt, id etiam & reliqui Principes superiorem non agnoscentes in territoriis Jurisdictionis suæ obtinent, & per consequens Ordines illustres fundare possunt, modo sint maneatque præmia vittutis, aut incitamenta ad eandem strenuè sectandam vid. *Oldenburgerus* l. c. De cæterò monendum hæc est, errare *Albinum* in der Meißnischen Chronick / qui alium Autorem Ordinis hujus constituit, *Joannem* scil. *Nivernensem* Regis Gallorum *Caroli VI.* Patruelem, quem & *Linnæus* J. P. Tom. II. c. 2. refutat.

§. VIII. Quæ vero fuerit *Occasio* Foundationis hujus Ordinis & unde originem proprie in mente Gloriosissimi hujus Principis traxerit, Oedipus vix divinabit, quia in his definiendis digiti omnium Historicorum pariter ac Politicorum valdè inæquales sunt. Extant enim, qui putant Ordinem hunc, qui incunabula sua Burgundia debet, originem suam tra-

trahere à *Lanâ Anglicâ*, ex quâ pannus optimæ notæ conficitur, quæ quia à Belgis magna in copia fuisset emta, ipsis magnas divitias attulisset. ita ut hâc occasione de Ordine hoc cogitandi Belgis ansa sit subministrata. Ita enim *Thomas Lanfius* in Consult. de Principatu inter Provincias Europæ Orat. pro Britannia, p. m. 524. scribit: Jam inde enim ex concursu omnium fere gentium in Flandriam ad pannos ex Anglica Lana, aliasque Anglicas merces emendas, & suas distrahendas incredibile est, quantum res mercatoria, institoria, navalis & piscatoria apud Belgas floruerit. Adeo ut *Lana Anglica* verum fuerit Belgis *Vellus Aureum*, cui inclytus ille *Militaris Ordo Velleris Aurei* suam originem, & Burgundiæ Duces ingentes divitias debuerunt. Cui sententiæ & ad stipulatur *Mons. Favyn* dans l' Histoire de Navarre lib, 10. fol, 557. & *Speidelius* in Speculo Notabilium p 1371.

§. IX. Alii originem hujus Ordinis deducunt ex fecunditate Soli Burgundiaci, quæ sanè admiratione digna est, Vid. *Petr. à S. Juliano* in Origin. Burgund. c. 21. Hanc Fundatorem loco Aurei Velleris habuisse cit. Aut. Sententia est, qua ductus ordinem hunc instituerit. Et ne huic sententiæ quid deceat fidei, non nulli subtilitatem & Crisin singularem in nomine JASON latere arbitrantur, quod nomen quinque istis Mensibus, qui præcipuè ad conservationem generis humani multum in proferendis & maturandis cujuscunque generis fructibus contribuunt, initiales dat literas, ut sequens Schema docet:

Julius, Augustus, September, October, November.
vid. modo cit. *Petr. à S. Juliano*, l. cit. & *Gottfried Zenners Frühlings-Parnas* p. 136. anno 1694.

§. X. Nec illi Silentio sunt prætereundi, qui dicunt quod ab Ave dicta *Phasiana* occasio Ordinem hunc fundandi desumpta sit. Ferunt enim ejusdem Fundatorem, cum *Rysfeli* in Convivio vidisset *Phasianam*, voto se obligavisse, Turcas armata manu invadere & non desistere nisi prius ex *Colchorum* finibus deturbavisset. A quo tempore & iidem

po-

populi, de hâc re quadam relatione certiores facti, anxie desideravissent à jugo Barbarorum liberari. Sicuti & in dicto Convivio Nobilis quidam subordinatus in publicum prodiisset, & Convivas classico quodam excitavisset, ad efficiendum hoc, quod nunc propositum esset. Avis verò hâc Fundatori de talibus cogitandi ansam dedisset, quia maximus fluvius in Colchide *Phasiman* audiret, à quo Phasianæ nomen indeptæ essent, quia ibidem in magna copia invenirentur. Uti & communis sententia est, has aves primo ab Argonautis in Græciam deportatas fuisse.

§. XI. Vix digna sunt nobis visa, quæ recenseantur Commenta, de Origine hujus Ordinis quibus *Tollius* in sua Sapiencia insaniente, nec non *Mons. Amelot* in Annotat. ad Tacitum Gallicum, & quidem ad Lib. II. pag. 48. seq. ut & *Mons. Favyn* dans son Theatre d'Honneur utramque faciunt paginam, cujus posterioris Sententiam, qui more Gallorum propter Gloriam Ordinis hujus illustrissimi non succensere non potuit Serenissimæ Domui Burgundiacæ, *Julius Chiffletius* in Breviario cap. 3. pag. 7. meritò contumeliosum Commentum, quod nec anilis fabulæ nomen mereatur, vocat.

§. XII. Omnibus his Auctorum placitis sepositis, dicimus vera & genuina hujus Ordinis incunabula quærenda esse in generoso non minus quodam, quam pio proposito Serenissimi Ducis Burgundiaci, *Philippi Boni*, Gloriosiss. memoriæ, qui postquam audivisset S. Evangelistam Andream Evangelium primùm Colchis annunciavisse & prædicavisse, zelo pietatis commotus decrevisset istam Provinciam manu armata, tanquam alter Gedeon, à Turcico jugo liberare, & Christo ejusdemque Ecclesiæ vindicare. Et ne ipsi deessent Heroës, quorum operâ in hâc re posset uti, ad instar Jasonis Argonautas atque Nobiles generosos undique conquisivit, illisque loco mercedis dignitatem hanc Equestrem contulit, ut hujus Ordinis inclyti noviter sanciti membra existerent, ejusdemque Privilegiis & dignitatibus fruerentur. Vid. *Ja-*

cobus Marchantius in *Flandria lib. 3. pag. 285. seq.* & *Zennerus l. c. pag. 134.* Hinc etiam *Urnæ Fundatoris* verba hæc inscripta leguntur:

*Pour maintenir l'Eglise, qui est de Dieu Maison,
L'a mis sus le noble Ordre, qu'on nomme la Toison.*

conf. *Alvari Gomezii* de Principis Burgundiæ Militia, quam Aurei Velleris vocant, Tractat. singularem. Plura de his vide infra §. XX. & seqv.

§. XIII. *Tempus*, quo fundatus est Ordo hic, diversi diversum assignant. Quidam enim dicunt Anno Christi 1430. hoc factum esse, ut *Gollut & Miræus* in *Chronico Belgico*; *Alvii* verò, ut *Oldenburgerus* l. cit. & *Morerii* d. l. volunt Anno Christi 1429. die 10. Januarii Ordinem hunc institutum fuisse, quo ipso die & Anno Fundator Gloriosissimus diem Nuptiarum cum *Isabella*, Regina Portugalix, celebravit. Cui Sententiæ maximum pondus addit *Jacobus Marchantius* in *Flandria lib. 3. p. 285. seq.* ubi sequentia verba facit: Ipso Nuptiarum die Ordinem Aurei Velleris instituit, propter amorem erga nobilem statum dignitatis Equestris, ad Gloriam omnipotentis Creatoris & Redemptoris, Laudemque virginis ejus Matris, Sanctique *Andree* Apostoli, Martyrisque, ad exaltationem Fidei sanctæque Ecclesiæ, & virtutum bonorumque morum exaltationem exempli *Gedeonis*. Toto itaque Cælo, quod ad tempus attinet *Limæo* in *J. P. Tom. II. lib. VI. cap. 2.* errare videtur *Waremundus ab Ehrenberg* lib. I. de *Fœderibus. cap. 4. num. 14.* qui annum institutionis posuit à Nato Christo 1477. quod si verum enim esset, etiam mortuos Equites creasse dicendum foret.

§. XIV. *Causam Materialem* constituit homo Nobilis, vita, nomine, armisque irreprehensibilis, *Marchant. l. proximè cit.* & *Zennerus l. c. p. 138.* *Morerii l. c.* habet: Chevaliers Nobles de nom & sans reproche, h. e. Genere & Fama verè Nobiles. Ex Nobili enim fit Eques, qui major est Nobili simpliciter ita dicto, ab eodemque gradu distingvitur, ut habet *Oldenburgerus l. c.* Conf. *Magnifici Domini Doct. à Sode Nucleus Juri s Publico.*

Feu-

Feudalis Disput. 6. §. 2. pag. 38. seq. Sique contingeret, ut Privilegia hujus Ordinis cuiquam concederentur, quod equidem factum esse non meminimus, qui antea Nobilis non extitisset, eo ipso Nobilitatem expressam acquireret. vid. *Excellent. Gudenus Disp. allegat. cap. 5. §. 2.*

§. XV. Quia verò ad Nobilitatem etiam referuntur, observatis tamen Nobilitatis Gradibus, Imperatores, Reges, S. R. I. Electores, Archi-Episcopi, Episcopi, Comites &c. vid. *Excellent. Gudenus l. c. cap. 8. §. 1. & 2.* Sequitur & hos, qui omnium Dignitatum culmen & apicem constituunt, hoc ordine delectari. Sicuti novimus, quod omnes Monarchæ Romani Imperii à Carolo V. Gloriosissimæ memoriæ, usque ad Modernum nostrum invictissimum Augustum Romani Imperii, *Leopoldum*, quem Diâ Pronæa longè superstitè reddat, & Majestatis ejusdem legitimè designatum Hæredem, *Josephum*, Romanorum Regem invictissimum, quem Deus diutissime servet, huic Ordini inclyto addicti fuerint, & adhuc addicti sint. Imò & Imperatorum Austriacæ Familiæ insignia hujus Ordinis signum, ob cognationem cum Fundatore, hunc usque in diem circumdet, *Oldenburgerus l. c. §. 4.* Sacraq; Cæsarea Majestas quotannis hujus Ordinis Festū Solenni ritu celebret, quod & anno præterlapso à Nato Christo 99. Factum esse Relationes publicæ Erfurtensens T. Num. 103. hisce testarunt: *Wien / vom 23. Xbr. demnach am verwichenen Montag bey Hofe die ordinari Ceremonien des Guldernen Bluß-Fests begangen worden / haben sich selbigen Abends hiesige Herrschafften in St. Michaelis-Pfarr-Kirchen begeben und daselbst der Litaney beygewohnt.* His meritò annumeramus Reges Poloniarum, *Uladislaum, Joannem, Casimirum, & Michaelem*, qui omnes Ordinis hujus celeberrima membra extiterunt, quod sanè nulli omnium, quocunqve etiam nomine veniat, Ordinum hætenùs obtigit, (conf. *Michael Boschii Orat. Scholast. de Aureo Vellere*,) excepto Ordine *Spiritus S.* à Gallorum Rege conferendo, quem nescio, quo Consilio Rex Poloniarum, qui nuper vita excessit, *Joannes III.*

amplexus est. Cum tamen referente *Olivier de la Marche* dans sa Memoire lib. I. c. 15. p. 256. *Carolus, Duc d'Orleans*, tertius in Dignitate à Rege Gallorū, hujus Ordinis privilegiis atq; Insigniis ornari gavisus sit. Et Elephantino, cujus Insignia atq; Privilegia Modernus Poloniarū Rex Augustissimus invictissimusq; *Augustus*, tanquam suæ Fortitudinis præmiū, jam ante Coronationem, ab Inviectissimo *Danorum Rege*, reportavit.

§. XVI. Quemadmodum vero Ordo hic ratione Membrorum est splendidissimus; Ita etiam ratione Numeri parvisimus est. Constabat enim ab initio viginti quinque tantum membris, vid. *Oldenburgerus* l. c. aut, ut alii volunt, Viginti quatuor, referente *Zennero* l. c. Numerus autem iste postea varias ob causas ad triginta & unum extensus est, donec à *Carolo V.* sub quo Monarchia Hispanica incrementa haud levia cœpit, ad numerum tandem quinquagenarium excrevit. vid. *Oldenburgerus* l. c. §. 4. *Zennerus* d. l. pag. 138. Et in hoc numero quinquagenario hætenus acquievit Ordo noster, quippe cui Gloriosum præprimis habetur, si non plura membra eligantur, nec cuivis indigno detur hoc modo adire Corinthum. Dignus sanè est, qui hæc de re audiatur. *Aubertus Miræus* in Chronico Belgico fol. 506. seq. ubi sequentia habet verba: Initio non nisi XXV. Equitibus Collegium constitit, ipso Philippo Duce cæteris annumerato. Idem tamen Dux, tabulis 1431. datis, cœtum XXXI. Equitum deinceps futurum pronunciavit. At *Carolus* postea V. Cæsar, 1516. Bruxellæ Comitia celebrans, sodalitium LI. Equitum statuit. Eadem & refert pro more satis accurate *Jul. Chiffletius* in Breviario Historico cap. 9. p. 23. seq.

§. XVII. Elucet ex his non obscure Dignitas inclyti hujus Ordinis, quia summæ Imperatoriæ ac Regiæ Majestates, nec non Eminentia nullum supremum in his terris agnoscences, eadem condecorari voluerunt, adeo ut rectè ab *Excellentiss. Gudeno* Disp. cit. cap. 5. §. 3. Omnium Ordinum celeberrimus vocatus sit. conf. *Oldenburgerus* l. c. §. 4. *Petrus Calefatius* Tract. de Equestri Dignitate, & *Jacobus Vivarius* in

Car-

Carmine de Aureo Vellere. Hinc etiam fit, ut Monarcha Hispanorum Ordinem hunc aliis, scil. de *S. Jacobo, Calatrava & Alcantara*, quos confert, anteponat, vid. *Jul. Chifflet, Breviar. Historic.*

§. XVIII. *Causa Formalis* consistit in Insigniorum ac Privilegiorum justa collatione. Tria itaq; hinc consideranda nobis veniunt. (1.) *Insignia*, (2.) *Privilegia & Jura*, (3.) *Ceremonie seu Ritus*, quibus hæc conferuntur. De quovis horum sigillatim erit dicendum.

§. XIX. *Insignia* quibus ornantur Equites nostri absolvunt *Catena Aurea* affabrè facta, cujus articuli repræsentant ferrum ad eliciendum ignem paratum, & lapides in eundem usum flammæ evomentes. Ad extremum Catenæ *Agnus* jungitur *auratus*, cui addita sunt verba: *Pretium non vile laborum.* *Morerii* l. c. *Wolfgang Lazius* putat insignia hæc ortum suum trahere à Captivitate *Joannis Intrepidi*, Patris *Philippi Boni*. Ille enim cum in Hungaria à Turcis captivatus fuisset, à Vate Turcico certior factus esset, quod vel ipse, vel unus posterorum suorum, qui ignem in pectore foveret, subacturus esset Saracenos, hinc factum, autumat ille, quod insignia hæc Fundatori arrisissent. Sed huic contrariatur *Louis Gollut* dans sa *Memoire Historique de la Republique Sequanoise*, pag. 726. ubi dicit ferra ista ad ignem eliciendum parata primitus duo B, hoc modo BB posita, fuisse, quæ duas Burgundias, Principatum scilicet, & Comitatum repræsentavissent, id quod veritati adeò contrarium non videtur, præsertim, si formam ferrorum istorum paulo accurarius inspiciamus.

§. XX. *Zennerus* l. c. refert & hæc verba addita esse: *Autre n' auray, h. e. Aliud non volo habere.* Quibus verbis Equitibus Phrygiam ac Græciam, in qua Pater Fundatoris ad extrema ora Hungariæ prope Hellepontum, & Pontum Euxinum captivatus fuit, quotidie quasi ob oculos ponere Philippus Bonus, & ita ad virtutem indefinenter exercendam excitare voluisset. Sicuti & Equites hi primò tenebantur quotidie

insignia hæc portare, donec postmodum ab Imperatore *Carolo V.* hoc mutatum est, ut molestiis exinde emergentibus remedium adhiberetur, qui ordinavit, ut insignia hæc per certos tantum anni dies portarentur, reliquo verò tempore permiffum esset Agnum in filo serico rubicundo in pectore habere. Uti & nomina sua nullo bello dare poterant, præsertim ii Equites, qui Feuda sub Præside Ordinis habebant, ac alii Domino in bello fervire debebant (vide Statuta hujus Ordinis apud *Limnaum J. P.* lib. VI. cap. 2. §. 7.) quam huic, exceptis tamen Imperatoribus, Regibus & Ducibus. *Monf. Louis Morerii* l. c. & horum meminit Verborum, quæ annexa insignibus his legerentur: *Ante ferit, quam flamma micet.* Quibus Equites ad impetum faciendum excitare quasi visus sit Fundator.

§. XXI. Præter Insignia hæc Equites nostri diebus solennibus & profestis singulari etiam vestitu utuntur, Toga scilicet argento textili, Pallio coccineo & Caliendro de serico Violaceo. vid. *Morerii* l. c. Vestitum hunc paulo immutatum esse à Filio in Vallincinensibus Comitibus, refert *Jac. Marchantius* l. c. His *Job. Jac. Chiffletius* in Insign. Gentilit. Equit. Ordin. Aurei Velleris Præfat. ad Lectorem quædam addit de Galeis, ita enim scribit: Galeæ omnes scutis superpositæ aureæ sunt & apertæ, Supremi Juris Principum adversæ, numero Clatrorum pro cujusque dignitate distinctæ; aliorum in dextram tantum partem tantillum conversæ. Cur verò Galeæ plures, & Atlantes seu Talemones in hoc Ordine non admittantur, ejus rei rationem idoneam in Historia reddemus. Hæc Clarissimus Autor d. l. promissit, quanquam Historia ista Ordinis hujus, quam Vastum opus vocat, hætenus, quantum nos novimus, lucem publicam nondum aspexit. De cætero Typum egregium exornati Equitis nostri Ordinis æri incisum exhibet *Jurisprudentia Heroica* fol. 499. & graphicè eundem delineat *Sigmund von Bircken* in seinem Suggerrischen Ehren-Spiegel des Hauses Oesterreichs. *Jean Baptiste Maurice*, dans le Blason des Armoirier de tous le

Che

Chevalier de l'Ordre de la Toison d'Or. Ut & Sal. Sparnagel
in Equite Aurei Velleris ad vitam Petri Ernesti, Comitis
Mansfeld. expresse.

§. XXII. Ab Insigniis ulterius progredimur ad *Privi-
legia*, quæ duplicia sunt, horumque alia sacra, alia verò po-
litica concernunt. Quæ videsis apud *Jul. Chiffletium* in Bre-
viario Historico inclyti ordinis Aurei Velleris, nec non *Lim-
neum* in Statutis l. c. evolvendis, ut & *Jurisprudent. Heroic.*
fol. 445. usque 477. Inter ea, quæ politica concernunt pal-
maria ferè hæc sunt, quod Equites hi liberi ab omni Vecti-
gali sint, in omnibus conventibus solennioribus primū locū
post Principē suum teneant, exceptis ejusdem tantum Con-
sanguineis & Cancellario. Philippus IV. & hoc privilegio i-
stos donavit, ut in Burgundia recto capite iis diebus, quibus
magno Ordinis signo ornantur, coram Principe compareant,
nec non liberum Accessum in ejusdem Cubile, ut & omnia
Palatia Regia habeant. *Zennerus* l. c.

§. XXIII. *Ritus & Ceremonia*, quibus Insignia & pri-
vilegia hæc conferuntur, dijudicari possunt ex iis, quæ
Gerardus de Roo in Annalibus Austriacis lib. 9. pag. 328. de
Electione hujus Ordinis supremo Defensore habet. Interfe-
cto enim *Carolo*, Ducum Burgundiæ postremo, ad Nanceum
ab Helvetiis, anno 1478. per Oliverium Marchianum Comi-
tia Brugis fuerunt instituta, ultimoq; Aprilis die, quo Ascen-
sio Christi celebratur, haberi sunt cœpta, & Tornacensis E-
piscopus, Ordinis Cancellarius, luculenta Oratione de hujus
Ordinis institutione, incrementis ac dignitate quædam præ-
fatus, Maximiliano Archi-Duci Austriæ, tanquam Hæredi
Burgundiæ & reliquarum Ditionum, Societatem hanc com-
mendavit, qui per *Joannem Boverium*, Consilii sui Præsidentem,
respondit & omnia in honorem Dei se pro virili præstiturum
sanctè promisit, quæ præstanda essent. Quo facto Cancellari-
us nudatum vagina gladium à feciali acceptum Ravenstei-
nio in manus dedit, qui Principi Solenni more Equestrem
contulit dignitatem. Inde in Sacrarium Templi deductus,
fo-

solitum ordinis habitum induit, mox in medium Templi pro-
 gressus, loco editiore, postquam in verba jurasset, Lancius,
 qui Collegas ætate anteibat, Catenam cum Vellere aureo il-
 lius collo circumdedit, in hæc verba ipsum allocutus: *Quod*
felix faustumq; faxit Deus, Serenissime Princeps, ob summas Virtu-
tes, animiq; fortitudinem generis tui, ac fortuna celsitudinem
dignam, equestris aurei Velleris Ordo, in suum te collegium assu-
mit, summumq; & Ordinis & Collegii Principem ac defensorem
creat. Ex his clarum est, quæ Ceremoniæ observandæ ve-
 niant in justa collatione horum Insigniorum ac Privilegio-
 rum, siue ea conferantur summo Ordinis Præfidi, vel ejus-
 dem cuidam Membro. Plura qui desiderat adeat *Limneum*
 l. c. in Statutis, ubi totus Ritus Electionis & Inaugurationis
 §. 43. seqq. describitur. Nec non *Jul. Chiffletium* in Brevia-
 rio Historico l. c. *Jacobum Meyerum* in Annalibus Flandriæ
 fol. 274. *Franciscum Haræum* in Annalibus Ducum Brabantiae
 Tom. I. pag. 403. seq. *Aubertum Miraum* in Chronico Belgi-
 co, *Pontum Heuterum* in Tract. Rerum Burgundicarum l. 4.
 cap. 3. fol. 85. seq. *Guillaume de Latre* de Ordine nostro, *Pierre*
de Saint Julien in Originibus Burgundiacis. Ut & die Beschreie
 bung/mit was Ceremonien und Zierlichkeit die Römische Käys-
 serl. Majestät/ sambt etlichen andern Fürsten und Herrn/den Or-
 den des güldenen Stüßes Anno 1585. angenommen / ab Anonym.
 edit, nec non *Adm. Rev. & Excellentiss. Dn. D. Stuart P. P.* in Disp.
 Logico-Curios. de Secunda & Tertia Mentis Operatione,
 Quæst. curios. 5. pag. 54. Talis Actus solennis & nuper ce-
 lebratus est, uti vidimus ex Rel. publ. Colonienf. latin. Nam
 LXXXVII. Extraordin. 1699. Vienna sub 28. Novembr. ita
 scribebatur: Ante biduum Comes *Wenceslaus à Sternberg* in
 Equestri conclavi Aulico Vellus Aureum, id quod haud pri-
 dem ei Rex Hispanorum gratiose indulferat, præsentibus ex
 hoc Ordine Equitibus ritu solemnibus acceptabat.

§. XXIV. Recensitis his ulterius, & quidem ad *Causam*
Finalem pergimus. Ea verò cum ex mente Philosophorum
 triplex sit, vel primaria, vel secundaria, vel intermedia,
 dici-

dicimus *Causam finalem primariam* Ordinis hujus fuisse glo-
riam Dei, quam promoturus fundator gloriosissimus prima-
rio intendebat, dum Provinciam istam, ex qua olim Jason au-
reum Vellus abstulisse fertur, Christo ejusdemque Ecclesie
vindicare intendebat. vid. supra §. XII. & Verba Jac. Mar-
chantii §. XIV. allegata. *Secundarius* vero *Finis* Decor Nobi-
litas, nec non excitatio ejusdem ad res gloriosas ac arduas
fufcipiendas, de hoc Jac. Marchantius l. c. fcribit: Verifimi-
le est autem Philippum animo Regio decorandæ Nobilitatis,
& ad majorem benevolentiam, fidem, resque arduas excitari-
das cupidum &c. Sicuti enim Nobilitas præmium Virtutis
est. vid. *Excell. Guden.* Disp. allegat cap. 7. §. 4. & ejusmodi
donis, gratiis & blandimentis, honoribus & muneribus homi-
nes invitantur ad bonum, *Nold.* cap. 7. n. 24. Ita & Ordines
Equestres, præsertim vero Ordo noster præmium strenuæ
Nobilitatis habetur. *Conf. Oldenburgerus* l. c. Cum enim non
cuivis Strenuorum Nobilium ad Solium Imperatorium, Re-
gium & Ducale ascendere detur, necesse est, ut fit Ordo in-
clytus, ad cujus Fastigium elevari possint. *Intermedius* tan-
dem *Finis* fuit major solennitas Nuptiarum, quibus Isabel-
lam, Portugaliæ Regiam sibi vindicavit. *conf. §. XIV.* Eo
ipfo enim Serenissimus Dux testari voluit amorem erga con-
jugem tam exoptatam, & diem nuptialem omni posteritati
commendare voluit.

§. XXV. Sequuntur tandem *ea* etiam, *quæ* huic Or-
dini *adjacent*, inter quæ haud ultimo loco ponenda sunt
Statuta, quibus recensendis brevitati studentes hinc superse-
demus, & ista scire aventem remittimus ad *Limn. J. P. Meig-
seri* T. vom dreysachen Ritter-Stande / pag. 1. cap. 4. pag. 7.
seqq. & *Münsteri* Cosmograph. lib. 3. cap. 224. nec non *Juris-
prud. Heroic.* fol. 445. seqq. ubi hæc omnia justa serie recen-
sentur. A summo Romanæ Ecclesie Pontificibus *Eugenio*
IV. anno 1433. & *Leone X.* anno 1516. hæc confirmata leguntur
apud *Zennerum* l. c. pag. 137. & *Guicciardum* in Descriptione
Belgii, German. Verf. fol. 57. nec non *Speidelium* in Speculo
Notabilium p. 543.

C

§. XXVI.

§. XXVI. A Statutis ad *Officiales & Ministros* hujus Ordines progredimur, quorum in ordine primus est *Cancellarius*, secundus *Thesaurarius*, Tertius *Secretarius*, & Quartus *Caduceator* seu *Scriba*. Horum quatuor mentionem facit *Marchant. l. c.*

§. XXVII. Huc pertinent & *Comitia*, quæ instituuntur ad promovendam salutem totius inclyti Ordinis, qualia celebrata leguntur sub Imperatore *Carolo V.* Bruxellæ anno 1516. Sic & *Velincenensium Comitiorum* memoria viret, quia in illis *Philippi Filius* Togam *Coccineam* laneam in *Holsericam* commutavit, v. *March. l. c.*

§. XXVIII. Restat ut de *Patrono* Ordinis quædam dicamus, qui *St. Andreas* est, quippe qui primum *Colchis Evangelium* prædicasse fertur. vid. supra §. XII. quem & tota *Burgundia* pro *Protectore* agnoscit.

§. XXIX. *Festum* denique huic Ordini sacrum celebratur ipso die *St. Andreæ*, *Zennerus l. c. Oldenburgerus l. cit. §. 4.* equidem refert *Festum* hoc ab ipso *Fundatore* in aliam diem translatum esse, sed *Relationes Colonienses* latinæ *Ordinar. Num. LXXXVI.* contrarium nuper edocuerunt, in quibus *Bruxellis* sub 3. die *Decembris 1699.* ita scribebatur: *Andreæ Apostoli Festo die*, quem *Ordo Aurei Velleris* colit *Protectorem*, super nato tertio, & pridie super secundo *Principe Bavarico* solennia *Baptismi* agebantur.

§. XXIX. Ex ante dictis jam videmus, quod *Ordo Equestris Aurei Velleris* sit *Societas inclyta & eminentis*, à summo *Principe Majestatis Charisma* tenente, ex *Nobilitate excellentiore* *propaganda Fidei* ergo, ut & *Virtutis heroicæ remuneranda causa* collecta, certis *Privilegiis & Insigniis* præ cæteris *Nobilibus* donata. His ad finem perductis pergimus ad

CAPUT II.

QUEST. I.

An rectè Ordines Equestris, & præsertim Ordo inclytus Aurei Velleris referatur ad Politicam?

RESPON-

RESPONSIO:

Afirmatur quia (1.) Ordines Equestres, inter quos eminet *Aurei Velleris* certæ, & eminentiores quædam sunt societates. (2.) Quia Excellentiore partem Reipublicæ constituunt. (3.) Saluti Reipublicæ invigilant, (4.) à Jure Majestatis dependent, (5.) Præmia Virtutis sunt, & (6.) Virtutem promovent atq; augent, sine qua efficax & vera Politica dari non potest. conf. *Joannis Casi Sphæra Civitatis*, pag. 1. in Prolegom. ut & lib. IV. Cap. 1. pag. 250 seqq.

QUÆST. II.

An satis in Politicis sit fundata dignitas Equestris, quæ Nobilibus ob Excellentiam factorum præclarorum confertur?

RESPONSIO:

Respondetur, quod sic. Quia (1.) juxta *Cic.* in *Tusc.* Quæst. lib. 1. Honor alit artes, & per consequens Præmium facta præclara atque heroica Nobilium. Si enim Apelles Satvam insignem Pictoris, Polycletus Sculptoris; Imò & hoc politicum habeatur in Civitate, ut ne Artifex excellens careat mercede; Quis quæso Nobilibus virtute illustribus præmium denegaret? (2.) Justitia est habitus cuique tribuendi quod suum est, hæc vero cessaret, vel minimum cespitaret, si Inclyti Ordines non conferrentur. Conf. cap. 2. §. XXV. membr. 1. (3.) Mala pœnis luuntur, & vi contrariorum virtutes remunerandæ sunt. (4.) Exemplum præbet Antiquitas, quæ Homero Laurum, Scipioni Coronam, Cæsaribus Triumphos adjudicavit. (5.) Hocque multum ad salutem publicam confert, si virtutes præmiis exornentur; Musæ enim tunc Vigent, atque virent, sed neglectis his languent & frigent. (6.) Naturam ipsam hæc in re præeuntem habemus, quæ divinis rebus loca meliora dedit. Ut: Angelis Cælum, Animishumana Capita. Sunt tamen duæ Cautelæ hîc observandæ, altera ex parte Conferentis, qui non nisi veram virtutem præprimisque excellentem remunerare debet; altera ex partè *Ambientis*, ne quis in arcem honoris temere se

intrudat ; Quo altius enim ascendit Simia, eo magis apparet turpitudine partium ejus, vid. *Joan. Casti Sphæra Civilis* lib. 3, cap. 8. p. m. 186.

QUÆST. III.

An, & Qualis differentia detur inter Nobilem & inter Equitem, uti cujuscumq; illustrioris, ita præsertim etiam Ordinis Aurei Velleris?

RESPONSIO:

Dari differentiam ea, quæ ad proximè præcedentem quæstionē reposita sunt edocent; Qualis autē sit ista nunc dicendū est nobis. Dicimus ergo differre (1.) Nativitate, nobilis enim Parens nobilem procreat Sobolem, non autem Eques Equitem. conf. *Menoch. confil. 126. num 36. lib. 2. Ruin Confil. 19. num. 2. lib. 1. Theod. Höppingk de Jure Insignium cap. 2. n. 536.* Imò nec Filius Regis Hispanorum, si aliàs habiturus esset talem, nasceretur Eques, licet ipse Parens conferat dignitatem hanc, adde & *Goldastum in Politischen Reichs-Händeln/ part. 10. lit. 5.* (2.) Privilegiis. Habent equidem Equites omnia Nobilium privilegia, at Nobilis non æquè illa; Horumque alia ornatum Corporis spectant, ut inde Eques pondrosiorem & prætiosorem possit Torquem ornatūs causa gestare, quam Nobilis. vid. *Reformation guter Policey de anno 1530. & ann. 1548. Tit. vom Adel;* alia vero ornatum Equitum concernunt, vid. l. c. *Tit. vom Pferdezeug / imò & calcaribus deauratis Equitibus solummodo uti concessum erat. Vid. Oldenburgerus l. c. §. 2. & Limnæus J. P. num. 4. lib. 6, cap. 2.* Attendendi tamen hinc præsertim quod ad privilegia attinet, sunt Gradus Nobilitatis, de quibus supra cap. 1. §. 16. Non enim solum Imperatores, Reges, Electores & Comites inter Nobiles eminent, sed etiam Immediati, qui nulli statui subsunt, sed immediatè Imperio subjecti; Quales sunt Franco-nici, Rhenenses & Sævici, qui singularibus præ aliis gaudent privilegiis iisque ingentibus, tantum enim certo respectu possunt in territorio suo, quantum Imperator in Imperio. vid. *Excell. Guden. Disp. allegat cap. 8 §. 3.*

Quæst.

QUÆST. IV.

Utrum major sit Dignitas Equitis Aurei Velleris, quam Comitis Imperii?

RESPONSIO:

Besoldus Part. 4. *Consil.* p. 195. *Quæst.* 9. n. 114. Dignitatem majorem Comiti Imperii variis ductus rationibus, tribuit, cui, quoad rem *Limneus* J. P. Tom. 4. lib. 6. c. 2. ad stipulatur, quanquam rationes ejusdem minus ponderosas vocet.

QUÆST. V.

Qui nam inter Equites Ordinis Aurei Velleris Dignitate careris perpolleant.

RESPONSIO:

Inter Equites hos, non qui dignitate majore corrufcat, sed qui prius in Ordinem est receptus, alteri præfertur, excepto Imperatore, Regibus & Ducibus. *Limneus* J. P. lib. 4. c. 9. n. 46. add. *Wilhelm Becker* in J. P. p. m. 205. *Chaff. Catal. Glor. Mundi* part. 2. *Consil.* 13. *Mol. de Primogenitura* lib. 1. cap. 2. num. 24.

QUÆST. VI.

An Dignitas Equestris ad liberos atq; Hæredes descendat?

RESPONSIO:

Negatur. Quia (1.) Eques non nascitur, sed creatur conf. *Responsionem* ad quæst. 3. n. 1. Hinc *Jacobus Marchantius* in *Flandria* lib. 3. p. 185. seq. scribit: Vellus Aureum cum Catenâ post cujusq; mortem redit ad Collegium, ut alii benè merito offeratur. *Besoldus* in *Thes. Pract.* p. 339. col. 2. lit. G. sub *Rubro Gilden-Fluß* eadem refert, & addit restitutionem insigniorum intra tres Menses fieri debere Principi Ordinis. Add. *Münsterum* l. c. & *Noldenum* de *Statu Nobilium*. (2.) Si ad Hæredes dignitas hæc descenderet, multi carerent Stimulo ad præclara facta edenda, proque consequendo hoc Virtutis præmio. conf. *Responsionem* ad *Quæst.* 1.

QUÆST. VII.

An Quis Ordinem hunc ante obitum suum possit deponere?

RESPONSIO.

Affirmatur. Cautè tamen hîc procedendum ne talis hostis aut totius Societatis inclytæ, aut ipsius Fundatoris ejusdemque Successorum ac Agnatorum habeatur, Cautelam

hanc nobis *Antonius Possevinus* in *Historia Belli Monferraten-*
sis submittravit, qui de *Duce Sabaudia* fol. 377. scribit: Insigne
quoque Aurei Velleris remissum Inoyfæ accepimus, docu-
mento renunciatae amicitiae, idque Regis Jussu, misera com-
paratione Marchioni Estensi datum. Et fortè eo se onere le-
vare Sabaudius gestiebat: sive hostilia arma ferre abnueret;
sive vulgata in minores Dignitas minùs jam Principis splen-
doris habere videretur.

QUÆST. VIII.

An, & Quomodo Eques hujus Ordinis Dignitatem possit amit-
tere?

RESPONSIO:

Posse Equitem Dignitate hâc privari primò Affirmamus,
postea quomodo id fiat dicimus. (1.) Si Hæreseos sit convi-
ctus. (2.) Si proditionis factus sit reus, (3.) si in prælio aut
acie fugam arripuerit, relicto Duce, cui Verbum dedit. conf.
Statuta hujus Ordinis apud *Limnaum* l. c. §. 13, 14, 15.

QUÆST. IX.

An Potestas Ordinem Aurei Velleris conferendi magis ad Re-
gem Gallia, quam Hispanorem Regem pertineat?

RESPONSIO:

Præfenti rerum Statu magis ad Regem Hispanorum, quam
Gallorum pertinere dicimus: Suffulti trita Juris Regula: :
Qui succedit (legitimè) in locum, succedit in Jus.

QUÆST. X.

Si Rixæ & dissensiones inter Membra quedam Ordinis hujus o-
riantur, queritur ubinam dirimendæ & dijudicandæ veniant?

RESPONSIO:

Quia Eques non tantum considerandus est quoad Digni-
tatem hanc, sed etiam ut Nobilis, officialis Aulicus, Miles,
Dominus Feudi &c. pro qualitate causæ etiam diversa dica-
steria habere potest. Si verò controversia ortum traxerit,
ex iis, quæ Ordinem vel ipsum, vel ejusdem Statuta, Privile-
gia ac alia concernunt, tunc omninò coram Præside hujus
Ordinis venit dijudicanda. Sic enim scribit *Jacobus Marchan-*
tius in *Flandria* lib. 3. p. 285, seq. Collegium constat quatuor
offi.

officiariis, Cancellario puta, Theſaurario, Rege Armorum & Scriba, illi Collegio ſubminiſtrantibus. In quo hujus Ordinis Equitum ex prælio illicitæ fugæ, cæteraque crimina, ac ſiquæ inter ipſos ſunt Diſſenſiones, dijudicantur absque pro- vocatione, conf. Statuta apud *Limnaum* l. c. § 7. & *Wolffium* Tom. 1. Lection. Memorabil.

QUÆST. XI.

An apud Barbaros & Gente Antiqua ejusmodi Ordines etiam floruerint?

RESPONSIO:

Varios apud Barbaros & Gente Antiqua tam Sacros ſic di- ctos, quàm Militares floruisse ordines ex Documentis fide dignis affirmant Historici Clarissimi. *Bernhardus Justinianus* in *Historia Chronologica omnium Ordinum Equestrium*. *Herrera* in *Decade Tertio Generalis Historiæ Indiæ Occi- dentalis* lib. 2, cap. 15. pag. 201. *Garzilaffo* in *Historia Regum de Peru* lib. 6. cap. 24. 25. p. 758. seqq. *Seldenus* de *Titulis ho- norum* cap. 56. seq. §. 361. seqq. & *Richard Backer* in *Chroni- co Anglicano* fol. 118. b. Hos cui volupe est adire, & ex illis certior de reipſa fieri potest.

QUÆST. XII.

An Ordines Equestris oriam in Scriptura Sacra fundati sint?

RESPONSIO:

Duo Exemplum admodum præclara in Sacris literis sunt conſignata, quibus innituntur ii, qui pro Affirmativa mili- tant. Alterum ſcilicet *Joſephi* à Pharaone in ſupremum ho- noris ſolium evecti Gen. 41. & Alterum *Mardochai* ab Ahas- vero ſummis honoribus condecorati. *Eſth* 6. *Joſephum* quod attinet, totus iſte Actus in omnibus fere convenit cum iis, quæ dicta ſunt ſupra Cap. 1. §. 14. de Inaugurationis Actu Equitum noſtrorum. Est hic (1.) præcedens Virtus, cujus præmium dignitas Equeſtris habetur verſ. 38. 39. (2.) Verba Declamatoria v. 40. 41. (3.) Vestes his Actibus con- dignæ v. 42. (4.) Inſignia Equeſtria (a) Torques Aurea collo- ejus

94 117 638


eius circumposita v. 42. (b) de quo Philologus, Polyhistor ac Theologus celeberrimus *M. Christian. Feustel* in seiner Erbaulichen Welt und lehrenden Natur p. 29. ex *Radau* Oratore Extemporaneo refert, quod fuerit signatorius, signo Venerabili Crucis notatus. Quo signo alias & Equites ab aliis Nobilibus dignoscuntur. Unde autem tempore *Josephi* usus hujus signi ortum traxerit, aliis discutiendum relinquimus. (5.) Privilegia & Prærogativæ v. 40, 44. (6) Nomen novum צפנת פענח v. 45. (7.) Præco sed Caduceator clamans נכרה de qua voce *D. Pfeifferus* in *Dub. Vexat. centur. prim. Loc. LXXIII. pag. 208.* dicit quod sit *Cruce Criticorum*. Hæc & similia de Exaltatione *Mardochai* ex cap. 6. lib. *Esth.* afferri possent, si angustia Chartæ permitterent. Ex quibus minimum probabiliter concludi potest, Ordines certos in Sacris literis fundatos esse. Imò & in Politia Hebræorum tales floruisse Ordines multis haud improbabile videtur. Vid. *M. Nicolaus Möllerus* in *Dispp. de Politia Hebræorum tam Togata quam Sagata Sigonius Bertramus, Cuneus, Menochius, Reimerus, Conringius, & alii, qui de Rep. Hebr. memoriæ quid prodiderunt.* Sed ventis his Colophonem imponimus, posteaquam tantum, quantum ad Institutum nostrum requiri videbatur, de hæc per celebri Materia in præsentate Disputatione dictum est. Deo interim, quem Finem atque Initium omnium laborum nostrorum veneramur, sit Laus, honor atque gloria in sempiterna secula!

FINIS.

1077

MC





1881003
HISTORICO-POLITICA,
De
D I N E
T R I A U R E I
L L E R I S,
Oder
Ritter = Orden des
 goldenen Blüßes!
RECTORALI AD HIERAM
Deo favente,
ET
ate Philosophica consentiente,
UB UMBONE
N. KIESSLINGII,
Prof. Publ. Concionatoris
gelici, & P. L. C.
Solemni ritu
sitioni Eruditorum exhibita
à
ARE HEYDERO,
hilos. & Jurium Studio.
.) Februarii Anno M DCC.
Colleg. majoris, horis consvetis.
teris DAVIDIS SUMPPL.

II m
638

6.20

20.

